

Latin Examination: Fall 2021

This language examination consists of three passages. You should attempt to translate as much of this material as possible, as accurately as possible. Completing two of the three passages is a respectable showing.

Nota bene: Because the purpose of this examination is to assess how well you understand the Latin language, accuracy is more important than speed. Relatively brief translations that show a good grasp of what you have read will have a better chance of receiving a passing grade than will longer translations that are incorrect or incomprehensible.

Good luck.

I. Latin Vulgate Bible, Book of Ecclesiastes

Quid necesse est homini maiora se quaerere, cum ignoret quid conduceat sibi in vita sua, numero dierum peregrinationis sua, et tempore quod velut umbra praeterit? Aut quis ei poterit indicare quod post eum futurum sub sole sit?

Melius est nomen bonum quam unguenta pretiosa, et dies mortis die nativitatis.

Melius est ire ad domum luctus quam ad domum convivii; in illa enim finis cunctorum admonetur hominum, et vivens cogitat quid futurum sit.

Melior est ira risu, quia per tristitiam vultus corrigitur animus delinquentis.

Cor sapientium ubi tristitia est, et cor stultorum ubi laetitia.

Melius est a sapiente corripi, quam stultorum adulatione decipi;

quia sicut sonitus spinarum ardantium sub olla, sic risus stulti. Sed et hoc vanitas.

Calumnia conturbat sapientem, et perdet robur cordis illius.

Melior est finis orationis quam principium. Melior est patiens arrogante.

Ne sis velox ad irascendum, quia ira in sinu stulti requiescit.

Ne dicas: Quid putas causae est quod priora tempora meliora fuere* quam nunc sunt?
Stulta enim est huiuscemodi interrogatio.

* Helpful hint: “fuere” is a rather unusual variation of “fuerent.” If you already knew that, then you will definitely pass this exam.

II. Phaedrus (d. circa 50 CE), *Books of Aesop's Fables*

Cervus ad Bovem

Cervus nemerosis excitatus latibulis,
ut venatorum effugeret instantem necem,
caeco timore proximam villam petit,
ut opportuno se bovili condidit.
Hic bos latent: "Quidnam voluisti tibi,
infelix, ultro qui ad necem cucurreris?"
At ille supplex, "Vos modo," inquit "parcite:
occasione rursus erumpam data".
Spatium diei noctis excipiunt vices;
frondem bubulcus adfert, nil adeo videt;
eunt subinde et redeunt omnes rustici,
nemo animadvertisit; transit etiam vilicus,
nec ille quicquam sentit. Tum gaudens ferus
bubus quietis agere coepit gratias,
hospitium adverso quod praestiterint tempore.
Respondit unus, "Salvum te cupimus quidem,
sed, ille qui oculos centum habet si venerit,
magno in periculo vita vertetur tua".
Haec inter* ipse dominus a cena reddit;
et, quia corruptos viderat nuper boves,
accedit ad praesaeppe: "Cur frondis parum est?
Stramenta desunt. Tollere haec aranea,
quantum est laboris?" Dum scrutatur singula,
cervi quoque alta conspicatur cornua;
quem convocata iubet occidi familia,
praedamque tollit. Haec significat fabula:
dominum videre plurimum in rebus suis.

* Helpful hint: “Haec inter” is a poetical and unusual construction; read it as “Inter haec” instead.

III. Pope Francis, *Lumen fidei*, papal encyclical issued 29 June 2013

Dialogus inter fidem et rationem

Fides christiana, quatenus veritatem nuntiat totalis amoris Dei et ad potentiam huius amoris fovet aditum, ad magis reconditum centrum pervenit experientiae hominis, qui amoris ope in lucem editur, et ad amandum vocatur ut in luce maneat. Desiderio compulsi omnem realitatem illuminandi, initium sumentes ab amore Dei in Iesu manifestato, eodem amore amare quaerentes, primi christiani Graecum orbem, esurientem veritatem, invenerunt socium idoneum ad dialogum. Eo quod evangelicus nuntius philosophicam doctrinam apud antiquos convenit, id decretorium fuit iter ut ad omnes gentes perveniret Evangelium, idque effecit ut fides et ratio inter se agerent, quod saeculorum decursu usque ad nostram aetatem increbruit. Beatus Ioannes Paulus II in Litteris Encyclicis *Fides et ratio* monstravit quomodo fides et ratio altera alteram confirmant. Cum invenimus lucem amoris Iesu plenam, id advertimus quoniam in omni nostro amore praesens fuit aliquid illius luminis et intellegimus qualis fuerit eius meta. Et, eodem tempore, eo quod amor noster lumen secum fert, id nos adiuvat ad videndum amoris iter vergens ad plenitudinem summae deditiois Filii Dei pro nobis. In hoc cyclico motu lumen fidei omnes illuminat humanas relationes, quae in unione cum amore et Christi suavitate peragi possunt.